DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.

9

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

AMAUROSI:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUCIUS J. O'BRIEN,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

1819.

GEORGIO CALLANDER,

ARMIGERO, DE CRAIGFORTH,

PROPTER

SIGNA AMORIS PENE PATERNI QUAMPLURIMA,

AB ANNIS TENERIS USQUE COLLATA,

D. D. C.QUE

NEPOS.

DISPUTATIO MEDICA,

QUÆDAM COMPLECTENS

DE

AMAUROSI.

AUCTORE LUCIO JACOBO O'BRIEN.

AB antiquissimis usque temporibus hic visûs defectus cognitus fuit. Hippocrates subinde Γλαυκωμα, aliàs Αμβλυωγμην nominavit; Celso breviter, ut ei mos est, sub nomine *Caliginis* describitur.

Quo tempore Αμαυρωσις (obscuratio) nuncupari cœperit, plane nescio; video autem Sauvagesium, Linnæum, Sagarum, Vogelum, aliosque plurimos nosologos, cum Culleno et omnibus hodiernis, de hac denominatione fere consentire.

Mydriasis, *Amblyopia*, et alia quædam nomina, ad hoc vitium denotandum nonnunquam usurpata sunt. Quùm autem, nisi quod *obcæcati sint*, amaurotici paucissima indicia communia exhibere solent, medica illa nominum aviditas minus sese indulgere poterat. Nam varietas quidem appellationum, ut Cullenus bene notavit, plerumque exoritur a momento quodam imaginario, quod in signis singulis medicus inesse credit.

DEFINITIO.

QUINETIAM de hac re, ob causam jam dictam, auctores parum discrepârunt; sed nullus brevius simul et melius quam Cullenus rem exposuit. Verba sunt: "Visus imminutus "vel prorsus abolitus, sine vitio oculi eviden-"te, plerumque cum pupilla dilatata et im-"mobili."

Amaurosin, porro, in quatuor species diducit, nempe;

"1. Amaurosis Compressionis,—a cerebri
" congestione.
" 2. A. Atonica,—a debilitate.
" 3. A. Spasmodica,—a spasmis.
" 4. A. Venenata,—a veneno."

Manifestum est, has species potius ad causas spectare, quam ullas morbi ipsius varietates; ideoque quamvis modo ab his non multum diverso, Causas distributuri sumus, Divisione tamen illustrissimi Scarpæ uti potius decrevimus. Namque ille in *Perfectam* et *Imperfectam*, *Inveteratam* et *Recentem*, *Continuam* et *Periodicam*, separavit; quæ distinctiones naturam mali diversam, non causam forte mutatam notantes, Clinico usui esse possint. Divisiones Sauvagesii, utpote quæ eodem quo Cullenus, crimine laborent, persequi supersedeo.

MORBI HISTORIA.

Mali, quod modis tam variis abripit, nec raro momento quasi occupat, historiam tradere

nemo conaretur; atque nos ideo contenti erimus, si signa præcipua, quocunque ordine, memoriæ mandemus.

Tam Mares quam Fæminas, licet gravidæ procliviores habeantur, Amaurosis afficere solet. In omni regione orbis terrarum, sed in nonnullis gravius, semet ostendit; ætatem quamvis, sed mediam et provectiorem præcipue, corripit.

Signa Prænuncia varia et incerta; nam sæpe, ut diximus, sine ullo signo præeunte hominem corripit. Plerumque tamen capitis plus minusve doloris, tinnitus aurium, vertigo, molestiæ sensus, vel dolor in imâ orbitâ sub motu auctus, Dysopia tenebrarum, vel luminis, Amaurosin sæpe antecedunt. Morbo progrediente, oculi citius quam solebant exercitando fatigantur, vitium quod æger indies augere queritur. Nebulosa quasi omnia apparent; atque oculi ipsi quasi pulverem vel particulam aliquam continerent, sæpe fricantur. Pseudoblepsia, cum multiplice sua hallucinatione, supervenit, varias rerum imagines ob oculos versari efficiens. Ab his Flammulæ

vel Scintillæ, dum cubitum eunt, corpusve inclinant, subito conspiciuntur.

Illis maculæ aureæ, igneæ, rubræ, aut versicolores, primò evanescentes, dein permanentes observantur. Puncta nigra motantia, ideoque muscarum volatum referentia, lineæ coloratæ, atræ, pilis simillimæ, retia, serpentes volantes, annuli nitentes, globuli pellucidi tandem nigrescentes, Diplopia, Hemiopia, pari ratione occurrunt.

Visui nunc fere debili, stimulantia quævis, ut prandium, vel vinum in ventriculum receptum, beneficio sunt. Amaurosis sæpe cursum intermittere apparet, et præsertim sub initio, quando obscuritas potius quam cæcitas hominem vexat. Tensio quædam oculi ipsius sæpe intermittens percipitur; et in intermissione visum clarescere dicit.

Hæc signa, etiamsi morbum frequentissime prænotare soleant, cursui toti quoque sæpissime adsunt.

Morbo imperfecto, visus obliquus quodammodo (Dysopia lateralis Cull.) sæpe observatur; sic ut æger non tantum rem videndam

extra axem visus ponat, sed unum solum oculum ad eandem convertat.

Strabismus quidem hujus morbi certissimum est signum; præsertim si morbus paulatim obrepserit. In hoc enim exemplo Retina tota non simul vitiatur; nam pars sensum diu retinet, visumque obliquum imprimis, deinde strabismum inducit.

Vultus ferè, ut omnibus oculis captis, quippe qui sese in periculo perpetuo, dum ambulant vel quicquam agunt, versari sentiant, timidus atque meticulosus, nec mente animatus apparet.

Oculus ipse inspectus, pupillam magis dilatatam, immobilem, colore nigro sibi naturali gaudentem, pellucidam plerumque, ostendit. Aliquando tamen res sese aliter habent, atque in Amaurosi Perfectissimâ, nullâque arte sanabili, pupilla haud raro amplitudine naturali, et mobilissima videtur. Quin et in nonnullis exemplis (Richter), Iris, pariter ac musculi oculum extrinsecùs regentes, motum vehementer acceleratum, in Amaurosi accipit. Quod ad pupillæ colorem attinet, quem na-

turalem fere diximus, hic haud raro manifestius etiam perturbatur. Splendida enim illa nigrities, quæ in oculo sano apparet, amauroticis sæpe amittitur. Hebes, quidem, obscure nitens, et corneus nigror ei substituitur. Aliis pupillæ color viridescit, aliis nubilus densus et albidus, quasi cataracta adesset, facillime quidem cum hac confunderetur, ni nubilus ob oculos cataractæ communis, defuerit.

Nonnunquam oculus interior, longe post pupillam morbosam, aliquam præ se fert speciem; sæpe albescere omnino visus, superficiemque albidam, concavam, super quam vascula plurima sanguifera obtenduntur, exhibens. Aliàs, portio tantum dimidia, vel minor etiam hujus superficiei internæ hoc modo albescit; et hæc species, Retinæ ipsi non amplius pellucenti, ideoque radios lucis reflectenti, tribui solet. Nonnihil fortasse hujus albedinis, a fungo Hæmatode oritur; sed an hic cum illâ unquam conjungi notatus sit, incertus hæreo.

Forma pupillæ, perinde ac color et amplitudo, sæpe mutatur; modo enim angulata,

modo ovata, atque ab Iridis centro dimota, videtur. Si Iritis aut præcesserit aut comitatus sit morbum, zona vasculorum radiata corneum cingit, et ramulos ad marginem ejus introrsum mittit. Dolor simul oculi violens, lucis intolerantia, quæ sæpe quidem sine iritide amauroticos vexat, et febricula simul ægrum tenent. Aliquando, docet clarissimus Ware, amauroticos ophthalmia valde dolens supervenit; curationem quidem peculiarem postulans, ut ipse in libello de Guttâ Serenâ bene docuit. Propter hanc causam haud minus quam lucis intolerantiam supra dictam, oculi talium lacrymare solent, quæ lacrymatio quidem, in eis exemplis, quibus palpebræ superioris paralysis adest, molesta non fieri nequit. Membrana narium mucosa, si Richter credas, in Amaurosi exarescit.

Sub hac formâ vel intermittente, Amaurosis aut per totam vitam aut tempus omnino incertum durare potest. Nec magis certum est spatium, quod morbi hujus accessio occupare soleat. Fuerunt qui momento fere vel intra νυχθημερον obcæcati sunt; fuerunt etiam

quibus visus aut menses aut etiam annos aliquot languesceret, priusquam omnino esset extinctus.

Utrumque fere adoritur oculum; haud semper tamen; etiamsi quando alter oculorum diu affectus fuerit, alter fere eodem malo brevi implicatur. Rarissimus sed tamen verus casus est, ubi altero oculo obcæcato, alter ad extremam usque vitam incolumis manet. Exempla hujusmodi sanabiliora creduntur.

Quoad Guttam Serenam, Cataractam nigram, et alia quævis definita aut intellecta nomina Amauroseos, nihil quod huic historiæ adjiciatur habeo.

CAUSÆ.

Definitiones Culleni species Amaurosis, causis potius quam differentiis niti docuimus, atque si tempus suppeteret, sub his capitibus quatuor causas utique contemplarer. Illas igitur, in causas quæ *plenitudinem* capitis augeant;—quæ *vigorem* corporis, ideoque

oculorum imminuunt;—et quæ *Genus Nervosum* irritant, cum clar. Richter, distribui.

I. Causæ *Plenitudinem* Capitis augentes, plurimæ sunt, pauciores tamen quam chirurgi peregrini, Pathologiam *humoralem* vocatam respicientes, tradere solent. Sic evacuationes quævis suppressæ, Menstrua scilicet, Hæmorrhoides, Diarrhœa, Exanthemata, ulcera sanata, Amaurosin induxisse haud sine suspicione quadam dicuntur. Caput magis solito dependens, spiritus vehementer retentus, venena quædam, ebrietas, exercitatio magna, sub pondere majore nisus, labor nimius aut nimis diuturnus, parturitio, vel etiam graviditas molestior, vomitus, iter ultra modum acceleratum, ictus capiti impactus, hujusmodi sunt. Similiter concussus, ophthalmia, calor solis intensus, animi affectus vehementiores, morbi alii omnes sanguinem ad caput nimiâ copiâ et impetu dirigentes in eandem classem referri possunt.

II. Res vigorem oculorum minuentes fere hæ sunt; attentio rebus minutis nimis diu

adhibita, rerum ex uno oculo, per conspicillum contemplatio; rerum splendentium et clararum, ut plagæ nivalis vel fulguris, longa inspectio; lunæ diuturna consideratio; venena irim præsertim afficientia; mœstitia et animi affectus deprimentes; cerebri pressio quævis, ut ex aqua in ventriculis, tumoribus, vel exostosi; Fungus Hæmatodes, Aneurisma per anastomosin, Exostosis, tumor quivis in orbita increscens; studium nimium, Venus extra vires culta, Cataracta per longam lucis desuetudinem; Iritis.

III. Irritationes Generis Nervosi duas Culleni species, *Spasmodicam*, scilicet, et *Venenatam* Amaurosin, forte amplectuntur. Modus operandi plerumque ad consortium inter partem protinus affectam, et nervum opticum retinamque refertur; sed qualis consensus hicce sit, aut quomodo operetur, haudquaquam constat. An vero ad alias potius causarum species relegari debeant, ambiguum apparet; certe multo frequentius quam aliæ supra dictæ causæ Amaurosin inducunt. Ir-

ritationes ventriculi aut intestinorum; viscerum abdominalium et præsertim hepatis affectus; vermes; consternatio subita; Membranæ Schneiderianæ tam nasi quam sinus frontalis, irritatio insolita; nervi frontalis divisio aut læsio; rheumatismus *; podagra; Febris Intermittens; Spasmi varii, ut Hysteria, Epilepsia, Hemicrania Spasmodica; Venena, qualia sunt Digitalis, Datura Stramonium, Hyoscyamus, Atropa Belladonna; Fulgur vividum demum, ni hoc potius ad classem secundam pertineat.

Hactenus de his causis locuti sumus, quasi sedes mali primitus semper proximeque in retina hæreret. De hac re tamen minime constat; neque improbabile est, species per pupillam in oculo profundo, ut jam docuimus, transpectas, sæpe a vitiis Tunicæ Choroideæ potius pendere. In Albinis, quibus hæc naturâ rubrior est, utpote quæ pigmento nigro fere careat, visus imbecillimus est; Hæmeralopes fere omnes sunt; quod genus mali, do-

---

* Vide Life of J. C. Saunders, &c.

cente Bontio (p. 73.) et Bampfield (Med. Chir. Trans. vol. v. p. 34.) in Amaurosin, cui affinis apparet *, haud semel degeneravit.

Retinæ opacitas, quam innuit Hallerus, utique visum impedire potest; cujus rei exemplum notabile dedit Morgagnus, (Ep. 52. art. 30.), ubi Retinam Amaurotici cujusdam, in laminam osseam conversam esse narravit. Idem, necnon Bonetus, Amaurosin a Nervi Optici erosione inductam reperit; quod ad hunc nervum et expansionem ejus Retinam, sedem mali haud dubie refert. Mirum est quantum tensionis nervus ille ferre potest, visu fere incolumi; dum in aliis exemplis levissima extensio hominem occæcat. Utriusque exemplum videas Ed. Med. Surg. Journ. et Turnbull et Travers in Med. Chir. Trans.

---

* "The Hemeralopia, or nocturnal blindness, is, "strictly speaking, only an imperfect periodical A-"maurosis."—Scarpa, 449, Engl. Translat.

RATIO SYMPTOMATUM.

Quomodo aliæ causæ supra dictæ Retinam quasi ex longinquo afficiant, sic explanatur. Circulus ille arteriosus, Willisii dictus, in ipsa cerebri base circa Sellam Turcicam collocatur, atque limbus ejus anterior contingit, transgreditur, premitque nervos opticos; dum limbus posterior nervis motoribus oculorum dictis, similiter incumbit. Hinc capitis plenitudo necessariò hos nervos premit, et actionem eorum imperfectam vel nullam superinducit. Præter hanc circuli arteriosi plenitudinem Baillie (Morb. Anat.) truncum aut etiam ramos arteriæ Carotidis internæ et Basilaris in eodem loco sæpe morbosos esse docuit.

Tumores omnes, concretionesque, aqua hydrocephalica, et similia, haud aliter quam hic sanguis superincumbens, visum afficiunt, ideoque nulla explicatione ampliori egent.

Muscas volitantes in hoc morbo, alii ad retinam morbosam retulerunt; clarissimus autem nuper Ware, ad nimiam retinæ sensibilitatem, quæ villorum tenuium Tunicæ Choroideæ irritatione offensa, has species morbosas exhibeat.

Pupillæ dilatatæ causa medicos haud modice torsit, incertos nimirum sive vi propria contrahendi, sive mutuâ tantum iris gauderet. In Amaurosi certe perfectissima, Iris mobilis aliquando videtur, dum in aliis exemplis, quibus Amaurosis vix ulla adest, iris patentissima et immobilis existit, (Schmucker, B. 2.) Irim igitur propriis nervis vasculisque animatam aut dilatatam, aut agilem manere ab actione in se causarum excitantium, nec omnino ex consensu cum retinâ mutari, credere oportebit.

Colorem pupillæ *mutatum* jam prius explanavimus.

Quantum ad formam ejusdem affectam pertinet, hanc plerumque cum Iritide aut Cataracta connecti autumo; Iride scilicet posteriore cum lente concrescente.

DIAGNOSIS.

Pauci quidem morbi cum Amaurosi confunduntur, Cataracta excepta; atque ab hac facile, quæcunque difficultates sub initio occurrant, progressu temporis distinguitur.

Cataractæ cum Amaurosi perplexæ fuerunt, imprimis quando fundus oculi colorem albidum ostendit; aut cum cataracta sedem in capsulâ lentis posteriore habet; aut demùm cum cataracta nigra est, et quasi colore vacua. Discriminantur, quia, in prima ambiguitate, nubecula ob oculos amaurotici non versatur; sed plurima alia discrimina æque valent. Lente ipsa vitiata, color albidus, aut certe inæqualitas quædam notanda est; Cataracta, ut signorum historia docet, a centro lentis incipit; opacitas æque diffunditur, paulatim augescit; æger in crepusculo quam luce vivida melius cernit; eo quod pupilla sub vesperem amplius pateat, et copiam majorem lucis ad retinam pervenire sinat. Sed

in Amauroseos longe plurimis exemplis, visus accuratior est, quo clarior lux reddatur *.

Pari fere ratione, Extractum Belladonnæ diagnosin facilem inter Cataractam et Amaurosin præstat. Hoc enim in aquæ pari copia solutum atque in oculum instillatum, vel supercilio illitum, pupillam quantum fieri potest, semet ampliare cogit; quo pacto, et caliginis sedem formamque speculari possumus, et visu aut clariore aut molestiore facto, ad utrum genus pertineat morbus dijudicamus.—Clarissimus porro chirurgus, Monteggia, docet oculum amauroticum clausum et compressum luminis imaginem nunquam præstare, sed contra oculum cataractâ affectum sano similem, lucis quasi jubar animo exhibere. Inter Cataractam nigram et Amaurosin, eodem fere modo dijudicandum, atque si huic historia morbi adjiciatur, discrimen certum præstabit.

* Multis autem Amauroticis visus sub sole minuitur.

PROGNOSIS.

In morbo nostro, Prognosis bifariam consideranda est; haud secus ac morbi varietates esse docuimus. Nam si speciem morbi a causis, ut Culleno placuit, deducas, tum Prognosis omnibus ab eo dictis quatuor modis variabit.—Similiter, si ad gradum aut vehementiam morbi, durationem aut constantiam spectes, nova et triplice ratione illico erit præsagiendum,—rem igitur satis perplexam dicendo illustrare conabor.

1*mo*, Amauroses, *Imperfectæ*, *Recentes*, *Periodicæ*, plerumque sanabiles sunt: modò non e causis structuram nervi optici et retinæ corrumpentibus originem traxerint. Id quod vel præcipue verum est, quando retina lucis adhuc stimulum sentire potest. Recens Amaurosis, si subita est, pupillâ non vehementer dilatatâ, neque ullo capitis vel supercilii continuo dolore; si nullus stricturæ in globo ipso sensus sit; si ab ira violenta, mœrore,

terrore, ventriculi plenitudine nimia, vel saburra; Plethora universa, capitisve dolore topico non inveterato; plerumque sanabilis est. Amaurosis quoque plerumque sanatur quæ convulsionibus levioribus, non autem epilepsiâ, ex febre acuta, aut intermittente, exoritur; nec minus periodica, si intervallum regulare conservet.

Postremò, omnes illæ Amauroseos varietates, quæ a primarum viarum turbela nascuntur, utpote quæ facilè corrigi possint, minus sunt pertinaces quam aliæ species, de quibus jamjam dicendum est.

2do, Amauroses, *Perfectæ*, *Inveteratæ*, *Continuæ*, cum læsione ipsius oculi, insanabiles sunt. Si annos complures duraverit, aut ex intervallo redierit amaurosis; si æger vetulus sit, oculisque semper a puero debilioribus, usus; si lente admodum, et paulatim cæcitas obrepserit, pupillâ immotâ, margineque inæquali, nec annulari; si fundus oculi, absque Cataracta, speciem pallidam, corneam, subinde viridescentem præ se ferat: morbus insanabilis est. Post longam generis nervosi

excitationem, languore huic succedente, præsagium æque infaustum est. Nec Amaurosis, ut diximus, ab Epilepsia, aut Hemicrania Spasmodica, aut Ophthalmia Violenta, omine faustiore gaudebit.

Denique, si forma aut dimensiones globi oculi, per causam amauroseos mutatæ sint, hæc insanabilis est, modo hæc mutatio a causa intra globum ipsum, nec ab externa pressione provenerit *.

CURATIO.

QUANDO Amauroseos causæ diversissimæ sint, neque semper manifestæ, consilia medendi similiter in duo genera dividuntur, Rationale, scilicet, et Empiricum. Cum enim causæ cognitæ sunt, consilium erit, has quam primum removere: sed causâ incogni-

* Vid. exemplum in Med. Chir. Trans. supra laudatum.—SCARPA.

tâ, necesse est ea remedia tentari quæ olim, quamvis sine causa manifesta juvare apparuerunt. Primum Rationale est, secundum Empiricum consilium.

Rationale.

In Amaurosi ex vasorum capitis plenitudine, sanguinis copia in corpore circulantis minuenda est, atque sanguis præcipue qui in capite est subduci omni ratione debet. Ad hoc, sanguis mittendus est e brachio, pede, aut arteria temporali. E pede sanguis apud nos raro mittitur, sed apud chirurgos peregrinos, et in Amaurosi et in aliis morbis laudatur. De copia sanguinis ita mittendi, secundum vires ægri corporisque habitum judicandum est. Post sanguinis detractionem universam, hirudines aut cucurbitæ temporibus admoventur. Cucurbitas cervici posteriori ut applicemus, alii suadent; sed memoria tenendum est sanguinis missionem specialem, nisi generali præmissa, nihil fere in Amaurosi proficere. Enemata emollientia, purgantia, epispastica, præsertim setacea, pediluvium, cum

his remediis simul haud inutiliter conjunguntur. Si morbus ab evacuatione quadam suppressa pendere videatur, ut supra in Causis ostendimus; hæ singulæ suo remedio provocandæ erunt. Richter, in hac re exercitatissimus, plurima narrat exempla ab Hirudinibus, partibus unde fluere debent admotis, subito et firmiter sanata. Si quidem compressio nervorum oculorum ab aliis rebus proveniat, hæ pro virili parte tollantur; perstantes enim morbum ex necesse aggravant.

Si omnia remedia frustra adhibita fuerunt, Richter roborantia, ut aquam frigidam circa caput affusam, usui commendat; atque his frustratis, vomitoria. Militem, e. g. longo itinere subito confecto, cæcutientem his sæpe visui restitutum vidit.

In Amaurosi, a debilitate corporis vel ipsius oculi oborta, tractationem contrariam suadet illustrissimus Scarpa. Evacuatur alvus repetitis vicibus, ex Rheo Palmato, tum roborantia cardiaca subsequuntur. Ægrum simul ab omnibus genus nervosum, ideoque visum infirmantibus abstinere oportet. Ventriculo

intestinisque evacuatis, decoctum Cinchonæ, cum Valeriana conjunctum, Quassiæ infusum cum guttulis paucis Ætheris Sulphurici, laudantur. Vapor aut Ammoniæ puræ aut aromaticæ in oculum leniter dirigendus est.

Exercitatio modica, vitrea plana et colorata, ante oculos gesta, curationem residuam perficiunt.

Si oculus tantum laborat, vapor supra dietus, quarta quaque hora, cum aqua frigida ex panno madido intervallis adhibita, eum haud mediocriter corroborat.

Curatio Amauroseos ab irritationibus sympatheticis diversi ingenii est. Irritatio imprimis, qualis sit, invenienda est, deinde remediis sibi propriis auferenda. Non semper quidem, irritatione sublata, Amaurosis illico decedit; quod si non fit, Anodynis pugnandum erit, ut impressio in nervos facta consopiatur.

Ad primum consilium peragendum, Vomitoria et Resolventia, ut vocantur, optima apparent. Vomitorium longe optimum Tartras

Antimonii est, qui ad hunc modum cum Resolventibus alternari debet.

Ex Tartrate Antimonii vomat æger; postridie pulverem ex Supertartrate Potassæ Tartrateque Antimonii compositum ter indies sumat, et hoc modo deinceps dies decem. Si sapor ingratus in ore percipiatur, interponatur vomitus ex Tartrate Antimonii: Pulveres iterum; et sic donec ventriculus materiam viridescentem ejecerit. Hoc facto, pilulæ Schmuckeri vel Richteri alterantes exhibeantur. Curatio mensem fortasse occupabit, vix ante diem quintum solatii aliquid præstabit. Post hæc, perinde ac supra, Cinchona, Valeriana aliaque roborantia, adhibenda sunt.

Empiricum.

Nimis sæpe accidit Amauroseos causam penitus ignorari, aut si cognita sit, remediis omnino resistere. Grex ideo longa temerariorum auxiliorum in libris est, Cinchona, Valeriana, Sarsaparilla, Pulsatilla, Cicuta, Arsenicum, Antimonium Hydrargyrum, Electricitas, et sexcenta alia. Duo tantum ex his

attentionem sibi vindicant,—Hydrargyrum et Electricitas.

Hydrargyrum sub tribus formulis ut Sialogogum, Muriate, scilicet, Pilula, sed præcipue Submuriate, in Amaurosi laudatur. Summis laudibus quidem extulit hoc remedium doctissimus Farre, atque in Valetudinario Oculario Londinensi haud inutile fuisse observavi, etiamsi confiteor nonnullos nihil omnino adjutos. Morbus quidem noster sæpe pertinacissimus est, nec multo facilius, ni fallor, Muriati Hydrargyri, quod Ware commendavit, quam nunc Calomelani cedit. Hydrargyri Subsulphas quoque ut sternutatorium aliquando profuisse dicitur.

Electricitatem omnes fere auctores laudare consenserunt. Sæpe nihilominus spem fallit, atque gravi Amauroseos causa in corpore subsistente, nil inde expectandum.

FINIS.

Excudebant J. Pillans et Filius.

ERRATA.

Pag. 1. lin. 3. *pro* Αμϐλυωγμην *lege* Αμϐλυωγμον
—— 3. — 9. — Divisione — divisione
—— 8. — 3. 4. — corneum — corneam
—— 8. — 9. — amauroticos — amauroticis
—— 24. — 21. *post* Antimonium *insere commam*